

Cap. LXI. Rubrica quod civis donationem vel datam pro forense super alium civem accipere non presumat.

Contradicimus quod nullus civis Tergesti modo aliquo pro forense donationem vel datam aliquam accipere presumat 5
super civem de debito aliquo de carta vel de precepto, sub pena decem libr. par. ¶ Et nichilominus talis donatio sit cassa et vana. ¶ Preterea null(i)us civis sit ausus nec presumat facere aliquam fideiussionem pro aliquo forense modo aliquo, quod si fecerit nulla licentia inpignorandi sibi detur nec consilium 10
vel favor per divisum vel per comune.

Cap. LXII. De domibus non coperiendis de paleis vel de canis et habentibus cassales.

Ordinamus quod nulla persona in civitate Tergesti debeat 15
coperire aliquam domum sive stabulum de paleis surgo vel cannis, nec facere vel fieri facere domum sive stabulum de paleis surgo vel cannis modo aliquo, sub pena decem libr. 274 B par. pro qualibet persona contrafatiente. // ¶ Et si qua domus facta vel coperta esset seu fieret vel coperiretur de predictis, 20
destruatur et destrui debeat incontinenti. ¶ Preterea quelibet persona habens cassales super stratas publicas in civitate Tergesti teneatur et debeat ipsos casales claudere cum lapide vel lignamine de super terram uno passu comunis, et ipsos clausos tenere, sub pena centum sold. par. pro qualibet persona 25
contrafatiente et vice qualibet contrafacta.

Cap. LXIII. Rubrica quod habentes fenestras super ripam maris vel alibi super muros comunis claudere debeant.

Statuimus quod omnes habentes fenestras sive balchiones 30
super ripam maris comunis circumquaque civitatem Tergesti claudere debeant ipsas fenestras et balchiones cum la-